

excusaret, quod descripsisset in cartulis, animo transcribendi in libro; cartulas verò casu periisse, peccasse mortaliter, & teneri ad damna, & interesse, quæ paretianis ex tali omissione obvenirent, dixi, quia certum est Parochum teneri ex officio habere libros in quibus baptizatos, matrimonio conjunctos, & defunctos describat, ut *Concilio Trid. sess. 24. c. 2. de reform.* decernitur, ex quibus libris probatur quem esse baptizatum, Matrimonium celebratum, & quem defunctum, quæ ad hæreditatem consequendam, vel legatum, vel ad probandam consanguinitatem, & alia satis influunt, ex notatis per *Barbosam dicta sess. 24. c. 2. num. 28. 29. 30.*, *Passer. de scriptura privata rubr. de libris Plebanorum lib. 5. q. 6. num. 2.*, Quare omisso harum descriptionum magnū prejuditium affert populis, *Possevin. de off. Curati c. 6. num. 45.*, & 46., & *c. 12. num. 44.*, *Sanchez de Matrimon. lib. 3. disq. 15. num. 22.*, *Barbosa de off. Parochi p. 1. c. 7. num. 7.*, & 8., & *de potest. Episc. alleg. 32. num. 174.*, 175.

Ex quo ergo deficit culpabiliter in eoad quod tenebatur ex officio, tenetur ad damna, *Lessus de Justitia*, & *Jure lib. 2. c. 13.*, *dub. 10. num. 69.*, præjuditium intulit enim iuri Paretianorum ad notata per *Sylvestrum V. Rescriptio 3. q. 5.*, cumque possit eogi etiam multis, vel pænis impostis munus suum implere, *ad tex. in c. Administratores 23. q. 5.*; Idè Paretiani habent actionem contra Parochum ex

89 quasi contractu, qui dum acceptavit beneficium, cum honoribus, & oneribus, quasi sit mercede conductus, tenetur; undè in utriusque commodum suscepit officium, ac propterea teneatur nō solum de lata, sed etiam de levi culpa, *Azor. p. 3. lib. 4. c. 6. q. 2. Vers. est igitur*, *Filiuc. lib. 23. c. 3. num. 71.*, Sicut Tutor, qui ex negligentia damnificavit pupillum tenetur ad interesse, *l. nisi eam, l. 51. Tutoris C. de Administr. tutorum.*

90 Nec relevat excusatio de cartulis deperditis, tum quia tenebatur describere in libro ad id parato, ut ex *Tridentino loco citato*, tum quia non apparet impedimentum aliquod per quod excusabiliter posset uti remedio cartularum, tum quia tenebatur etiam omni adhibita diligentia, & sollicitudine reportare ad librum nota-

ta in cartulis, vel ad summum excusatio potuisset habere locum in una, vel altera partita, post breve tempus, post celebratū Matrimonium putà de mane in serò describendo, vel si tale accidens contigisset, putà si gravi morbo, pauld post celebratum Matrimonium, corripitur, revera ex impotentia, non verò ex negligentia, contigisset omisso.

91 Amplia decimoquartò, ut negligens visitare infirmos suæ Paretiae, etiam graviter peccet, & tanto gravius, quanto infirmitas periculiosior; tum ut possit oportuno tempore Sacramenta infirmo administrare, nam multoties contingere potest, ut Parocho negligente visitare, infirmo sine Sacramentis moriatur; vel quia domestici rudes ignorant statum, & urgentem necessitatem infirmi, & in quo periculo proximo sit, maximè in Villis; vel quia domestici temporali, & corporis curæ applicati, de salute animæ non cogitant; vel quia non audent infirmum admonere; vel ex alia quacunque causa, tum, ut monita salutis opportunè proponat ægrotò, cōtra insidias, & demonum tentationes, quæ acriores sunt, quanto exitus instat è vita, prout ex *Matbado*, & aliis notat *Barbosa de de Parochis p. 1. c. 8. num. 27.*, & *seqq.*

92 Amplia decimoquinto, ut Parochus negligens studere, & discere, quæ necessaria sunt ad suum officium, ritè, & rectè obeundum, graviter peccet; hæc autem sunt, quæ ad fidei articulos, & mysteria explicanda requiruntur, ad explicationem Evangeliorum, & sacræ scripturæ, ad Theologiam moralem concernunt, *Barbosa de off. Parochi p. 1. c. 2. num. 10.*, quia non solum sibi, sed, & aliis prodesse debet, docendo, & instruendo necessaria ad salutem oves sibi commissas, aliàs timendum est, ne impleatur illud, *Osee Prophe. c. 4. (quia scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris tibi)*, non enim excusatione digna est in eis inscitia, *arg. ex c. si in Laicis dist. 38.*, qui enim Sacram Scripturam ignorat, Christum ignorat, teste Hieronymo relato in *c. si iusta dist. 38.*, & valdè ponderanda sunt, quæ habet *doctor gentiū ad Corintios c. 14.*, quæ complet per hæc verba (*si quis ignorat ignorabitur*) Parochus ergo, ne ipse, aut oves sibi à Deo commissæ ignorentur à domino, in die Juditii, stit.

studeat toto conatu discere quæ Dei sunt, eaque similiter populum sibi commissum edocere, quod velem, ut Parochi attentius considerarent, dubito enim valdè, quod multi in hoc delinquant, existimantes se ulterius non teneri studio vacare, ex eo quia in examine ad Parochialem Ecclesiam approbati fuerunt, quasi ex eo certi sint, se cuncta scitu necessaria tenere, at falluntur sæpè, quia approbatio illa; at plurimum pendet ab improvisis responsionibus ad certos, & propositos casus, quæ non arguunt necessariam connexionem scientiæ ceterarum difficultatum; tum quia in scientiis, maximè in moralibus nemo unquam sufficienter peritus; eo quia in sigulis casibus plures contingunt circumstantiæ, quæ etiam peritissimorum multoties contorquet ingenia; tum quia memoria labitur, & deletur, & quæ semel didicit, in contingentiâ, casus non memoratur; hinc errores, hinc non recta iudicia, hinc præjudicia, hinc oportuna, aut necessaria remedia nō applicantur spiritualibus necessitatibus, & infirmitatibus, ex quo *Trid. sess. 21. c. 6.* ponderosioribus verbis imponit Episcopo, ut in hoc vigilet, & si noverit Parochum aliquem minus peritum, ut ei Vicarium deputet, vel si Parochus non sit honestis moribus decoratus, etiam à cura, & beneficio removeat, si incorrigibilis sit, & licet de ejus illitteratura omnimoda videatur loqui, tamen etiam de Parocho aliàs examinato, & approbato intelligendus est textus, quoties Episcopus in visitatione eū reperierit minus idoneum, declaravit *Sac. Congreg. die 9. novembris 1619. teste Sello in select. canon. c. 11. num. 18.*, nam ad Episcopum spectat explorare peritiam Parochorum, an talis, & tanta sit, quanta sufficiat ad rectè obeundum tantum Parochi munus, prout sensit *Rota decis. 23. num. 1. in Posthum. Farinac.*, quare quàm aberrant à veritate illi, qui assumpti ad Parochialem Ecclesiam existimant sibi otandi tempus advenisse, cum potius vigilandi, & laborandi onus susceperint, ut benè notavit *D. Carolus Borromeus* allegatus à *Franc. Leone thes. for. Eccles. p. 4. c. 2. nu. 26. 27.*, & *seqq.*, nam laus Pastoris est, si super gregem suum vigilet, è contra, si otietur, & negligat, culpatur graviter.

93 Hinc est, quod ad hunc effectum, potest

Episcopus vocare Parochos ad novum examen, ut sibi experientia innotescat, an illorum scientia sit extenuata, ut probat *Jo. Sancius in select. d. 50. num. 11.*, nam scientia Parochorum, quæ à principio fuit adiudicata sufficiens, decursu temporis diminuitur, data Parochi in studio negligentia, ad quod *Barbosa de off. Parochi lib. 1. c. 2. num. 10. ad fin.*, refert, *Sac. Congregat. declarasse in una Placentina sub die 6. Augusti 1628.*, liberum esse Episcopis, tam in visitatione, quàm extra, iterum examinare super Doctrina, & Litteratura Parochos approbatos ab Antecessore, tempore provisionis Parochialium, nec non superveniente rationabili causa, & suspitione ignorantia, posse examinare ad effectum *Concilio c. 6. sess. 21. de reform.*, *Diana p. 4. tract. 4. resolut. 59.*

94 Imperiti enim, & illitterati ad hunc effectum, sunt illi, qui non habent sufficientem peritiam ad munus suum rectè exequendum, *Aloys. Ricc. prax. aur. resolut. 547. p. 4.*, *Barbosa ad Trid. d. c. 6. num. 4. V.*, & *Imperitis*, *Antonell. de regimine Eccle. lib. 2. c. 4. num. 11.*

95 Amplia decimosexto, ut Parochus non leviter peccet, si negligat oleum eo anno benedictum ab Episcopo recipere, sed utatur oleo alterius anni, *c. litteris de consecrat. d. 3.*, & notat *Bonacina de Sacramento extreme unctionis q. unica p. 2. num. 6.*, *Possevin. de off. Curati c. 9. n. 1.*, *Barbos. ad Trid. sess. 14. c. 1. de Sacram. extreme unctionis num. 6.*

96 Limita in necessitate, putà quia nondum potuit novum consequi, vel ex alia causa inculpabili, non habet; quia tunc absque vitio negligentia, veteri potest uti, ut post *Zambram*, *Ugolin.*, & *Laiman.* notat *Barbosa d. num. 6.*

67 Amplia decimosextimo, ut negligentia culpam incurrat Parochus, qui Paretianos suos discordantes, non curat ad concordiam componere *arg. ex c. Discordantes Clericos dist. 90.*, *Barbosa de off. Parochi c. 1. p. 1. num. 26.*

98 Amplia decimo octavo, quod maxima culpa erit, si negligat Parochus diebus Dominicis saltem, erudire Pueros, & Puellas Doctrina Christiana, quod expressè statuit *Trid. sess. 24. c. 4.*, & *sess. 5. c. 2. de reform.*, de qua obligatione emanavit etiam *Constitutio*

tutio B. Pii V. incipit ( Ex debito Pastoralis officii ) sub die 6. Octobris 1572. , quàm per extensum affert Barbosa de officio Parochi p. 1. c. 15. num. 8. , quàm culpam esse mortalem, dixit Barbosa, ubi supra, sub num. 2. , ubi num. 3. notat, quod si Parochus sit nimis negligens in hoc munere implendo, poterit Episcopus, ex fructibus ipsius Ecclesie, partem congruam alteri assignare, qui pueros erudiat.

99 Scio quod Parochi rurales soleant se excusare, allegantes negligentiam Parentum in mittendis, vel ducendis pueris, & puellis, ad Ecclesiam, tempore ad id constituto, verùm deberent potius excogitare remedium, quod erit, vel per edictum Episcopi sub Censurarum Comminatione Parentes ipsos, vel alios, ad quos spectat cogendo, ad mittendos, vel ducendos pueros, quod fieri posse pluribus allegatis, dixit Barbosa d. c. 15. num. 6. , vel vehementius rationibus monendo eosdem, ut pueros mittant, ostendendo, quàm graves pœnas daturi sint in Dei Iudicio, dum in retanti momenti deficiant; vel in mane dum ad audiendam Missam conveniunt, poterit Parochus pueros edocere, & credendū est, quod Charitate suadente Parochus diligens nihil intentatum relinquet, quin Parentum suppleat negligentiam; Parochi etiam in Dei servitio ferventiores, per Villas, Campos, & Prata, pueros custodientes Boves inquirunt, & instruunt; & in hoc laudabiles.

100 Limita primò, tamen cum Ledesma loco à Barbosa allegato d. c. 15. num. 1. ad finem, quod Parochus non incurret negligentie notam, si singulos in particulari non edoceat, quia ad id non tenetur, sed sufficit si omnes in Communi erudiat; verùm etiã teneri existimo, si aliter nequeat consequi occasionem opportunam.

101 Limita secundò, si Pueros erudiat secundum eorum capacitatem; unde rudiores sufficit, si doceat orationem Dominicalem, Præcepta Decalogi, Præcepta Ecclesie, Symbolum Fidei, & Ecclesie Sacramenta, explicando item Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, cum Unitate Dei, Christi Domini Incarnationem, Passionem, Mortem, Resurrectionem, Animæ immortalitatem, Iudicium Divinum, in quo unusquisque pœnas, aut præmium repor-

tabit, pro ut gessit.

102 Amplia decimononò, ut negligentie notam incurret Parochus, si Vitia, è sua Paretia extirpare non curet, deturbare adulteria, concubinas tollere, blasphemos deterrere, hereses, superstitiones, eliminare, juxta præceptum Trid. sess. 24. c. 3. de reform., in quibus omnibus, sicut requiritur in Parocho magna vigilantia, & diligentia, ita etiam multa industria, & prudentia, cavendo nè utatur scientia, ex confessione Sacramentali habita, sed id debet intelligi de adulteriis, concubinato, & vitiis publicis, & notoriis, & tunc etiam cavendo à zello indiscreto; undè debet zellus charitate formari, & intentio debet ordinari ad solam peccatoris salutem, ita ut sine strepitu, sine clamore, sine vi, sed occultè quantum fieri potest, correctio faciendâ sit, & tunc tantum recursum habendum ad Judicem, quando omnibus remediis adhibitis, nulla alia salutis operandæ, spes inveniri possit.

103 Amplia vigesimò, ut debeat cavere Parochus, ne negligentis sit circa pauperes, & miserabiles personas, propter quod inter ceteras causas, cogitur residere in sua paretia, ut declarat Trid. sess. 23. c. 1. de reform., ibi in principio ( pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere ) de quo munere, S. Carolus in actis Mediol. Eccl. p. 1. in c. de diligentia ab Episcopo adhibenda in statu cuiusque Paretie cognoscendo, hæc habet ( inquirat Parochus studiosè de Pauperibus suæ Paretie, præsertim puellis nubilibus, de Viduis, Orphanis, Pupillis, Aegrotis, senio confectis, aliisque personis temporali, vel etiam spirituali auxilio, vel misericordia indigentibus, quibus, & ipse pro viribus opitulari, & alios, suo exemplo, & honoratu ad id officium incitare studeat, præcipuè de his omnibus sæpè certiorum faciat Episcopum, ut qui communis eorum Pater est, ipsam Paternam curam, & pietatem, quacunque poterit, ratione præstet ) nec satisfaciet muneri suo expectando, quod ad ejus ostium pulsent pauperes, quia multoties magis indigent, qui emmendicare erubescunt, sed debet diligentius, & cautè ipsos pauperes perquirere, eisque pro posse, & industria opem ferre; ad quod antiqui canones assignaverant quartam partem fructuum quorumcumque beneficiorum, deductis ne-

cessa-

cessariis alimentis, Clericis ipsis beneficiatis c. non satis d. 86., c. aurum, c. gloria, c. concessio, c. quatuor, c. de redditibus 12. q. 2., quæ obligatio, non solum est de elemosina largienda pauperibus, extrema, aut gravi necessitate præssis, sed etiam communi, quia tam Episcopis, quàm Parochis specialis incumbit cura de pauperibus inquirendis, & alevandis, magis quàm divitibus sæculi, nam quando Christus dixit Petro, pasce oves meas licet intelligatur primò, & principaliter de alimentis spiritualibus, scilicet Sacramentis, Dogmatibus Fidei &c., tamen etiam extenditur ad alimenta corporalia, si ultra victum, & vestitum, ut dixit D. Paulus, redditus habeant Ecclesiasticos, aliàs peccato negligentie notantur, ad tradita per Sanchez. opuscul. tom. 1. lib. 2. c. 2. d. 39. num. 34. 35., quod si non possunt omnes pauperes alere, poterint, ex eis aliquos sibi benè visos eligere, cæteris prætermisissis, ex allegatis per Barbosam in c. si quis propter num. 2. de furtis, & Diana p. 5. tract. 8. resol. 17.

104 Amplia vigesimoprimò, ut negligens Parochus orare pro suis ovibus, etiam delinquat, quod admonet pariter Trid. sess. 23. c. 1. de reform., ibi, pro his sacrificium offerre, quia est opus misericordie spiritualis, & in hoc populus multum indiget, tū ad impetrandâ divina auxilia, ad præcavenda mala spiritualia, & temporalia, tū ad virtutum augmentum; utrum autem teneatur pro suis ovibus sacrificium offerre, hoc est applicare; videantur D. D. apud Barbosam de potestate Episcopi alleg. 23. num. 23., & de Parocho p. 1. c. xi. num. 10., ubi Doctores allegat pro utraque sententia, & certò affirmativa videtur conformior verbis Concilii, & ego consulerem, ut singulis diebus Dominicis pro suis Paretianis sacrificium applicaret.

105 Contingat, quod in Ecclesia Parochiali, Clerici alique Ministri, etiam Laici, Sacra contemnant, abutantur sacris vestibus, Vasa sacra, sine debita reverentia, pertractent, loca sacra, nempe Ecclesiam, Oratorium, Cæmeterium, Saltationibus, aliisque profanis usibus polluant, Parochus verò omnimodè corrigere negligat, talis negligentia, ut Parochi factum, est puniendâ, Clement. prima de celebrat. Missar., Glos. in c. Nemo per ignorantiam, ut in Ver-

bo negligentèr de consecrat. dist. 1. per tex. in c. Nulli fas. 25. q. 1., ubi, quod timere debemus, qualiter comminetur Deus negligentie Sacerdotum, si quidem reatu majori delinquit, qui potiori honore perfruitur, & eo graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium; quare pro tali negligentia in præcit. c. Nemo per ignorantiam imponitur gravis pœna, gravem autem, & mortalem esse Parochi culpam, demonstrat per hæc verba ( quod si Clericum Præbiter non commonuerit, decem annis, & sex mensibus excommunicatus sit ) quorum negligentiam Jurisdicção, & jus taliter delinquentes corrigendi, devolvit ad ordinarium, ut est textus satis expressus in Clement. 1. de celebrat. Missarum.

106 Negligentia in custodia Augustissimi Sacramenti, ita ut animal comederet, vel filius iniquitatis raperet, aut aliter periret, quadraginta dierum penitentiam importat in jejunio, & observatione, ut ex Concilio Arelatensi refertur in c. qui benè non custodierit de consecrat. d. 2.

107 Tenentur etiam Parochi, in Sacramentorum administratione diligenter curare, ut dignis tantum Sacramenta ministrent, rejectis indignis, c. in mandatis dist. 43., intellige tamen de notoriè indignis, ut sunt excommunicati, Concubinarij, Usurarij, quos à communione arcendos, Sacri Canonis decreverunt; undè si in hoc negligenter se habeant, dicuntur proicere Margaritas ante porcos, & de gravi reatu judicantur.

108 Amplia vigesimosecundò, ut Parochus, sicuti, & omnis beneficiatus negligens acquirere suæ Ecclesie, cum possit, putà si repudiet hæreditatem, vel legatum relictum suæ Ecclesie, vel omninò negligat acquirere, vel potius sibi acquirat, quàm Ecclesie, peccat, & tenetur eidem Ecclesie de sub, ad interesse, idest damna resarcire, ex allegatis per Bellett. dist. Cleric. tit. de Cleric. debit. §. 7. num. 4., Afflic. decis. 279. num. 8.

109 Negligens Parochus, infra duos menses à die consecrationis beneficii emittere professionem Fidei, juxta Decretum Concilii Trid. sess. 24. c. 12. de reform., in pœnam non facit fructus suos; quàm pœnam incurrit in foro conscientie, etiam ante Judicis sententiam declaratoriam, Azor. Institut. moral.